DE MVSICIS PANATHENAEORVM CERTAMINIBVS

DISSERTATIO PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

ET AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IX. MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXV

PVBLICE DEFENDET

HENRICVS AVGVSTVS BREVER

BONNENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

THEOD. PLVESS. DR. PHIL.
ANTON. HEGERT, SEM. REG. HIST. SOD. ORD.
IOA. IAC. OERI, DR. PHIL.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRVS NEVSSER.

MDCCCLXV.

MEMORIAE

THEODORI PATRIS.

De Panathenaeis, summo Atheniensium festo et nisi quattuor totius Graeciae ludis non inferiore, multi iam viri docti disseruerunt et in universum et de singulis, quae ad ea pertinent. Ut vero aliorum festorum rebus sacris potissimum reliquisque ludis praeter musicos illustrandis operam dederunt, ita Panathenaeis contigit, ut in musica eorum certamina paucissimi inquirerent[1]). Quare operam non perdituros nos esse ducimus, si denuo hanc sollemnitatis partem accuratius tractabimus. Sed cum tempus nos deficiat, omnes quae hic occurrunt quaestiones percensere, de eis tantum disserimus, quae ad originem ipsamque singulorum certaminum naturam se referunt.

Quod ad scriptorum memoriam, quin illi qui universae Graeciae et praesertim ei qui Atticae festa et certamina descripserunt de Panathenaeis speciatim egerint, nemo dubitabit. Id quod de Dicaearcho scholia Aristoph. Vesp. v. 544 diserte tradunt: „*Δικαίαρχος ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ.*“ Unus autem Plutarchus sive quisquis librum de Musica scripsit libri singularis de musico Panathenaeorum certamine mentionem fecit his verbis (Moral p. 1134) „*τοῦτο δὲ δηλοῖ ἡ τῶν Παναθη-*

[1]) Copiosissime de illis egerunt M. H. E. Meierus Hall. Encycl. Sect. III. Bd. 10. p. 284 seq. et Aug. Mommsenius Heortologie p. 138 seq.

ναίων γραφὴ ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος" [2]). Quae omnia deperdita sunt et ad cognoscenda Panathenaeorum certamina musica dispersi modo variorum scriptorum loci et paucae inscriptiones usque ad nostrum tempus pervenerunt. Tantum vero ex illis cognoscimus, exceptis dramatis [3]) fere omnia musicorum certaminum genera in hoc festo habita esse. De quibus speciatim nunc agendum est ita ut primum de rhapsodis disputemus, tum de certaminibus, quae inter choros instituebantur, denique de singulis musicis qui de praemio certabant.

---

[2]) Hunc librum non tam catalogum victorum continuisse (id quod Meiero visum est l. c. § 7) quam historiam huius certaminis fuisse titulus libri *γραφή* et ipsa series sententiarum nos docent. Victorum enim catalogos cum libri tum inscriptiones *ἀναγραφάς* communi usu nominant et Plutarchus librum illum ad testimonium vocavit in principio auloedos elegias modulatas cecinisse.

[3]) Opinionem, in Panathenaeis dramata quoque acta esse plurimi iam dudum reliquerunt. Mommsenius (I. c. p. 140) nota Diogenis Laertii verba (in Platone III. 56: „*οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις, ὧν τὸ τέταρτον ἦν σατυρικόν. τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο τετραλογία.*") de lyricis tragoediis et comoediis quales tituli Boeotici exhibeant interpretans omnem difficultatem remotam esse censet. Cum vero pluribus ex caussis manifestum sit, festorum nomina *Διονυσίοις* etc. a librario quodam inserta esse neque aliunde lyrica quae vocantur dramata in Panathenaeis demonstrari possint, illius quoque sententiae fundamentum corruit.

Caput I.

De rhapsodorum recitatione.

Primum igitur de rhapsodorum recitatione agamus quam inscriptiones musicae primo in loco ponere solent. Notum est tales recitationes in Panathenaeis habitas esse nec dubitari potest quin eae posteriore quidem tempore c e r t a m i n a fuerint. Quod enim initium Ionis dialogi testatur, quem Platoni tribuerunt [4]. Cum vero antiquis iam temporibus fere ubique in Graecia rhapsodi in certamen committerentur, caussa non est cur statim ab initio recitationis quoque Panathenaicae id factum esse negemus. Sed magnum inter viros doctos certamen coortum est, quonam tempore et per quem recitatio Homeri poematum, de quibus potissimum agitur, cum hoc festo sit coniuncta. Alii enim Soloni hoc tribuunt, alii Pisistrato vel Hipparcho. Quod ad testimonia scriptorum attinet unus Hipparchus hoc certamen instituisse dicitur [5].

---

[4]) L. c. p. 530. Ibi Socrates Ioni, prima Epidauri praemia in rhapsodorum certamine se retulisse narranti haec respondet: „*Εὖ λέγεις. ἄγε δὴ ὅπως καὶ τὰ Παναθήναια νικήσομεν.*“

[5]) Pseudo-Plato Hipparch. p. 228 B: „*ὃς* (*Ἵππαρχος*) *ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διιέναι, ὥς περ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι.*“ Aelian. V. H. 13, 14: „*Ἵππαρχος, ὁ Πεισιστράτου παῖς,*

Sed cum manifestum sit auctoris dialogi verba „καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί“ per hyperbolen veteribus tritissimam dicta esse (cf. Nitzsch, prooem. aest. 1837 Kil. p. 4), ne ea quidem quae sequntur ad primam huius certaminis institutionem referre cogimur. Immo haec de lege Hipparchi interpretari possumus, qua statuerit, quomodo in posterum (ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς) Panathenaeorum rhapsodi Homeri carmina recitarent. Eorum vero sententia, qui Pisistrati vel Hipparchi demum tempore hasce recitationes in Panathenaea introductas esse contendunt, alia etiam ex parte refutari potest. Longe enim ante id temporis et per reliquam Graeciam (e. g. Sicyone Clisthene tyranno) et in ipsa Attica (sic in Brauroniis et tertio Apaturiorum die) Homeri carmina recitabantur. Itaque credi nequit ea tamdiu exclusa fuisse a summo festo Atheniensium, qui tantam in Homeri carminibus curam collocabant. Quae cum ita sint, non dubitamus ea quae Diogenes Laert. de Solone scripsit (I, 57): „τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι“ etiam ad Panathenaeorum certamen referre. Neque haec verba vetant ne statuamus, iam ante Solonis tempora et in aliis Atticae festis et in Panathenaeis certamina rhapsodorum locum habuisse, Solonem autem arbitratui tantum eorum derogasse. Meierus (l. c. p. 285) huic sententiae repugnare dixit, quod m a g n a Panathenaea in quibus teste Lycurgo[6])

πρεσβύτατος ὢν τοῦ Πεισιστράτου καὶ σοφώτατος ἦν Ἀθηναίων. οὗτος καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη ἐκόμισε πρῶτος εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς τοῖς Παναθηναίοις αὐτὰ ᾄδειν.“ Aelianus dialogi verba ante oculos habuisse eaque paullum mutasse videtur ita ut unum sit testimonium.

[6]) Lyc. c. Leocr. p. 161 cp. 26 „Βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τὸν Ὅμηρον παρασχέσθαι ἐπαινῶν. οὕτω γὰρ ὑπέλαβον ὑμῶν οἱ πατέρες

Homeri carmina recitarentur Ol. 53, 3 demum a minoribus sint distincta. Sed necessitatem rursus nullam videmus, Lycurgi verba ad primam huius certaminis institutionem referre.

Deinde quaestio mota est, utrum solam Homeri Iliadem an Odysseam quoque rhapsodi in Panathenaeis recitaverint. Welckerus (ep. Cyclus p. 389) censuit, propter sublimem huius festi naturam verisimilius esse, solam Iliadem recitatam esse. Cum vero vel gravissima Graecorum, praesertim gentis Ionicae, sollemnia miram quandam hilaritatis notam prae se ferant cumque omnibus in locis, quibus mentio fit huius certaminis in universum de Homeri carminibus agitur (τὰ Ὁμήρου ἔπη) Odysseam ex Panathenaeis non exclusam fuisse putamus [7]).

Gravior ea est quaestio, utrum unius Homeri an etiam aliorum poetarum epicorum carmina materies huius certaminis fuerint. Una enim ex parte loci quos supra laudavimus de solo Homero agunt, immo Lycurgus orator lege statutum esse dicit, ut unius Homeri carmina in magnis Panathenaeis recitarentur. Altera ex parte apud Hesychium Miles. (ed. Orelli. p. 58) et apud Suidam [8]) legimus, Choerili quoque poema una cum Homeri carminibus recitatum esse. Non dubitamus Welckeri (l. c.

σπουδαῖον εἶναι ποιητήν, ὥστε νόμον ἔθεντο καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνον τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψῳδεῖσθαι τὰ ἔπη, ἐπίδειξιν ποιούμενοι etc.

[7]) Quam sententiam Mommsenius quoque praetulit (l. c. p. 138) sed eam ob caussam quod Pisistrati genus, quem auctorem huius certaminis habet, tam in Odyssea quam in Iliade celebratum sit.

[8]) s. v. Χοιρίλος: „ἔγραψε δὲ ταῦτα· Τὴν Ἀθηναίων νίκην κατὰ Ξέρξου· ἐφ' οὗ ποιήματος κατὰ στίχον στατῆρα χρυσοῦν ἔλαβε, καὶ σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγινώσκεσθαι ἐψηφίσθη.“ Omnes in eo consentiunt, haec verba de Panathenaeis dicta esse.

p. 394) Naekii (Choeril. p. 89) et Mommseni (l. c. p. 138) iudiciis assentiri, qui hanc de Choerilo memoriam tuentur [9]). Nam primum non constat, quando lex illa quam Lycurgus memoravit sit lata nec quamdiu viguerit. Deinde orator de *magnis* tantum Panathenaeis loquitur. Nonnulli quidem concluserunt ex hoc loco, in quotanni festo rhapsodorum certamina omnino locum non habuisse: id quod minime sequitur. Immo putamus omnium generum certamina tam in minoribus quam in maioribus Panathenaeis acta esse et quinquennale festum ludorum tantum splendore et frequentia populi excelluisse [10]). Itaque statuendum est, in minoribus certe Panathenaeis una cum partibus Homeri poematum et Choerili aliorumque poetarum epicorum carmina recitata esse. Fortasse, ut in aliis festis, ipsi quoque poetae epici de praemio certabant. Id quod factum esse tituli Boeotici testantur, in quibus iuxta rhapsodos poetae victores nominantur [11]).

[9]) Meieri argumentum (l. c. p. 285) quo Choerili poema ex certamine Panathenaico excludit, cum „ἀναγινώσκεσθαι“ praelectionem scribae publici indicare dicat, etiam contra Homerum valeret. Utriusque enim poetae carminum recitatio „ἀναγινώσκεσθαι“ verbo significatur.

[10]) Quae res de solis certaminibus choricis perspicue traditur. Plerisque vero in locis Minervae festum simpliciter Panathenaea vocantur, quae et maiora et minora indicare poterant.

[11]) cf. Corp. Inscr. Graec. 1583. 1584. 1587. Rangabé Antiquités Helléniques Nr. 965. Ussing Inscr. graecae ined. Nr. 53. Posteriore quidem tempore illud in usum venisse eo facilius creditur, cum vel parodiarum poetae quorum primus Hegemon Thasius fuit in Panathenaeis carmina sua recitasse videantur. cf. H. Schrader. Rh. Mus. N. F. p. 186 sequ.

Caput II.

De certaminibus choricis.

Nunc de choris nobis agendum est primumque de illis disputabimus, qui cyclii vocantur. In universum quidem non multa de hoc certaminum genere innotuerunt, at de Panathenaeorum choris paucissima traduntur. Choros cyclios certatim in hoc festo saltasse Lysiae oratio *Ἀπολογία δωροδ.* p. 698 diserte testatur. Cuius enim in initio choragus quidam ignotus haec dicit: „*καὶ ἐπὶ Διοκλέους Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς κυκλικῷ χορῷ τριακοσίας* (scil. *δραχμὰς ἀνήλωσα.*)“ Iam quaeritur quando haec certamina in Panathenaeis sint instituta. Suidas (s. v. *Λᾶσος*) de dithyrambis tradidit, Lasum Hermionensem auctorem fuisse ut chori cyclii certamen inissent. Quam narrationem ad ea certamina restringendam esse quae Athenis primum sint habita Ol. 68, 1 Schneidewinus probabiliter demonstravit. (prooem. sch. hib. Gotting. 1842 p. 9). Cum vero chororum certamina artius cum rebus sacris cohaereant quam reliqua certamina musica, vel Lasi tempore vel non multo post dithyrambos in Minervae sacris certatim cantatos esse censemus. Accedit quod iam Lasus alias praeter Dionysias fabulas dithyrambis inseruisse videtur [12].

[12]) cf. Bernhardy Griech. Litt. II, 1, 465. Quin haec statuamus non obstare Plutarchi testimonium (Pericles c. 13) infra demonstrabimus.

Ex loco Lysiae quem supra attulimus cognosci potest, choros cyclios tam in minoribus quam in maioribus Panathenaeis ductos esse. Neque veritati adversari videmur, si et puerorum et virorum choros in Panathenaeis, saltem in quinquennali festo, saltasse contendimus. Id quod in aliis festis vel minoris momenti fieri solebat, e. g. in Dionysiis et in Thargeliis (cf. C. I. 213). Demosthenem virorum choragum in Panathenaeis fuisse putamus, qui cum in oratione quam contra Midiam habuit, dixerit, in Dionysiis virorum choro sumptus se praebuisse (*αὐληταῖς ἀνδράσι*), paullo post haec addit (p. 565) „*τί ἔτι; εἱστίακα τὴν φυλὴν ἐγὼ καὶ Παναθηναίοις κεχορήγηκα.*" At necessitas nulla adest cum Mommsenio (l. c. p. 170) in loco Euripidis Heracl. 778 seq. („*οὐδὲ λήθει μηνῶν φθινὰς ἁμέρα νέων τ᾽ ἀοιδαὶ χορῶν τε μολπαί*") si revera ad Panathenaea referri debet, verba *χορῶν τε μολπαί* de solis virorum choris interpretari. Quot autem chori in hac sollemnitate saltaverint nescimus. Meierus (l. c. § 7) tres vel quinque summum tribus tales choros suis sumptibus adornasse censet.

Ad hoc certaminum genus titulus pertinet temporis Macedonici quem infra descripsimus [13]):

I

Νικοκλῆς Ἀριστοκλέους
Παναθήναια
τὰ μεγάλα
Πύθια. Πύθια. Πύθια. — Πύθια. Πύθια. Πύθια
Λήναια
διθυράμβῳ

---

[13]) *Ἐφημερὶς ἀρχαιολ.* 1862 Nr. 219 idemque repetitus Philistor IV p. 93 (1863).

II

Βασίλεια. Ἡλιεῖα. Βασίλεια. Ἀσκληπιεῖα. ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.

III

. . . . ίεια. Ἑκατόμβοια. Ἴσθμια Βασίλεια πρῶτος. ἐν Μακεδονίᾳ.

Quae verba tribus lateribus incisa sunt lapidis oblongi, inter ruinas Dionysi theatri reperti. Mediam partem ea tenent, quae primo loco posuimus singulaque festorum nomina coronae includunt ipsis festis propriae. Verba *Λήναια διθυράμβῳ* quae sub reliquis coronis leguntur id genus indicare videntur, quo Nicocles in omnibus festis nominatis victoriam reportavit. Quare titulum non chorago positum sed privatum habendum esse censemus, in honorem Nicoclis poetae inscriptum. Choragi enim eiusdem civitatis esse solebant quae festum aliquod celebrabat. Neque pluribus sed uni chorago victoriae praemium decernebatur. Verba autem *Ἴσθμια πρῶτος* hoc quidem in festo plures coronam accepisse docent. Simul cognoscimus ex hoc titulo, quanto Panathenaeorum chori cetera festa superarint.

Denique huc referenda sunt duo prostypa, Athenis iuxta propylaea reperta, quae depingi fecit et explicavit Beulé (l'Acropole d'Athènes vol. II. p. 315 seq.) Quorum unum pueros pyrrhicham saltantes, alterum virorum canentium et saltantium chorum repraesentat. Beulé putat haec prostypa partes fuisse unius lapidis, in memoriam duplicis suae victoriae a chorago quodam positi, supra quem statuae complures deo dedicatae fuerint. Summo lapidis loco tituli fuerunt inscripti quorum fragmenta vir doctus ita supplevit: „Un tel, fils d'un tel, du dème de . . . . . *ἀνέθηκεν, χορηγῶν πυῤῥιχισταῖς νικήσας*

"Ἄταρβος Λυσίου ηὔλει, Κηφισόδωρος ἦρχεν." et „χορηγῶν νικήσας κυκλικῷ χορῷ." Sed cum paucae tantum litterae sint conservatae et spatii angustia vetare videatur ne tam multa inseramus certi aliquid hac de re statui nequit. Neque magis constat de numero eorum qui choros illos saltaverint, cum Beulé prostyporum partem deperditam esse ipse credat.

Iam disserendum est de raro inter certamina genere: de saltatione armatorum quam graeci πυῤῥίχην vocabant. Neve mireris eam inter musica nos recensere certamina, licet gymnicis aliquatenus adnumerari possit. Tibiarum enim cantus qui fiebat ad pyrrhicham non tam rhythmum corporis motuum inculcasse videtur (ut in gymnicis certaminibus) quam eiusdem fuisse momenti, quod instrumentorum usus in choris cycliis obtinebat. Deinde pyrrhichistarum chori plane eodem modo quo Bacchici et colligebantur et exercebantur: choragorum dicimus opera et sumptu. Praemiorum quoque tabula C. I. 2758 IV G. Col. II pyrrhicham musicis certaminibus adnumerat. Quonam tempore haec pyrrhicha cum Panathenaeis sit coniuncta numque inde ab initio certatim eam saltaverint nullo testimonio docemur. Tantum constat, Dores primum praesertim Lacedaemonios et Cretenses bellicosas hasce exercitationes excoluisse. Sed probabilis nobis videtur Mommseni sententia (l. c. p. 123) qui pyrrhicham iam Solonis vel Pisistrati tempore in Minervae festum inductam esse putat. Nam haec saltatio quae belli modos imitabatur bene convenit cum charactere deae bellicosae (cf. O. Mueller Hall. Encycl. l. c. p. 187). Quare Aristophanes Nubb. 987 seq. sui temporis pueros molliter educatos deam ipsam negligere dicit:

„σὺ δὲ τοὺς νῦν εὐθὺς ἐν ἱματίοις προδιδάσκεις ἐντετυλίχθαι·
ὥςτε μ' ἀπάγχεσθ' ὅταν ὀρχεῖσθαι Παναθηναίοις δέον αὐτοὺς
τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχων ἀμελῇ τις Τριτογενείης."

Eodem modo scholia ad v. 989 hunc connexum inter pyrrhicham et Minervae sacra aperte indicant: „διὰ δὲ τὸ εἰς Ἀθηνᾶν ταύτην τελεῖσθαι Τριτογένεια κέκληται." Sed nimium Mommsenius dixit si pyrrhicham vocat (l. c.) „eine dogmatisch an den Gottesdienst der Athena geknüpfte Begehung." Nam origo huius saltationis non in Minervae sacris sed in bellicoso Dorum animo quaerenda est. Nec mirum videtur, postea cum pyrrhichistarum chori magnam in Panathenaeis auctoritatem adepti sint pyrrhichae originem ad Minervam translatam esse. Dicebatur enim victis Titanibus eam saltasse vel tibia cecinisse ad saltus Castoris et Pollucis.

Quod pyrrhichae certamen et in magnis et in minoribus Panathenaeis actum esse duo loci Lysiae orationis testantur (ἀπολ. δωροδ. p. 161 et 162 Steph. „ἐπὶ δὲ Γλαυκίππου ἄρχοντος εἰς πυῤῥιχιστὰς Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις ὀκτακοσίας (sc. δραχμὰς ἀνήλωσα)" et „καὶ Παναθηναίοις τοῖς μικροῖς ἐχορήγουν πυῤῥιχισταῖς ἀγενείοις καὶ ἀνήλωσα ἑπτὰ μνᾶς." Pyrrhichistarum chori tripartiti erant inde ab eo tempore quo in gymnicis certaminibus tres aetates distinguebantur: pueri, adolescentes (ἀγένειοι), viri. Quarum omnium choros in Panathenaeis saltasse testis est praemiorum tabula Panathenaica (Rang. 960, col. II, 21 seq):

„νικητήρια.
Η παισὶμ πυῤῥιχισταῖ[ς] βοῦς
Η ἀγενείοις πυῤῥιχισταῖς βοῦς
Η ἀνδράσι πυῤῥιχισταῖς βοῦς."

Praeterea puerorum chori nominantur in scholiis Aristoph. Nubb. 988 „ὠρχοῦντο τοῖς Παναθηναίοις ἐν ὅπλοις οἱ παῖδες" et adolescentium in secundo Lysiae loco, quem supra laudavimus[14]). Sed dubium est utrum in quovis festo[15]) an in maioribus tantum Panathenaeis omnium aetatum chori pyrrhicham saltaverint. Unus enim locus Lysiae orationis, in quo minora Panathenaea aperte significantur de adolescentium tantum pyrrhicha agit.

Quod ad ipsum pyrrhichae certamen attinet, singulas aetates inter se de praemio certasse putamus ut in gymnicis certaminibus et in choris cycliis. Nam cum in inscriptione Rang. 960 tribus aetatibus singula praemia decernantur, perspicuum est totidem etiam actiones discernendas esse. Tum ex loco Lysiae saepius laudato apparet, singulas aetates suos habuisse choragos[16]). Quando omnes igitur aetates pyrrhicham saltabant, sex

---

[14]) Claraci sententiam, etiam virgines in Panathenaeis pyrrhicham saltasse H. A. Muellerus (Panathenaica Bonnae 1837 p. 112) iam refutavit.

[15]) Mommsenius quidem putat (l. c. p. 164) id factum esse, inscriptionis Rang. 960 testimonio fretus. Sed ipse (p. 162) hanc inscriptionem ad magna Panathenaea refert.

[16]) Quare Mommsenius erravit qui (p. 164 seq.) pyrrhicham in tres aetates quasi partes divisit unumque choragum antiquissimis temporibus „totam" quam vocat pyrrhicham adornasse putat. Qui vero tres aetates pyrrhichae cum virorum choro in Thargeliis comparari possunt aut participes totius pyrrhichae cum tragico choro vel comico?

minimum choragis opus erat: id quod maiori solum in festo factum esse putamus.

Denique paucis verbis commemoranda est sententia Gerhardi et H. A. Muelleri [17]) qui aliud etiam saltandi genus γέρανος dictum in Panathenaeis exstitisse censuerunt. Caussa eorum haec est quod Theseus hanc saltationem in Delo insula cum sociis egisse dicitur et quod in amphora Panathenaica citharoedo victori tradita „grus“ iuxta Minervam stans aspicitur. Cum vero nullum scriptoris testimonium habeamus, tale quid in Panathenaeis actum esse, res valde dubia manet.

---

[17]) Gerhard Etrusk. u. campan. Vasenbilder des königl. Mus. zu Berlin 1843 p. 4. — H. A. Mueller l. c. p. 95.

Caput III.

De certaminibus singulorum.

Certamina musica ut in Panathenaea inducerentur Periclem auctorem fuisse Plutarchus memoriae tradidit (Pericl. c. 13): „*Φιλοτιμούμενος δ' ὁ Περικλῆς τότε πρῶτον ἐψηφίσατο μουσικῆς ἀγῶνα ἄγεσθαι καὶ διέταξεν αὐτὸς ἀθλοθέτης αἱρεθεὶς καθότι χρὴ τοὺς ἀγωνιζομένους αὐλεῖν ἢ ᾄδειν ἢ κιθαρίζειν.*“ Quae verba ad sola certamina proprie musica dicta[18]) restringenda esse cum verba *καὶ διέταξεν αὐτὸς* etc. indicant, tum ea res demonstrat, quod rhapsodorum certe recitationes iam antea in Panathenaeis habebantur. Sed ne illud quidem omni ex parte verum esse nunc demonstrabimus. Scholiastes enim Aristoph. Nubb. 971 primum Phrynin Mytilenaeum archonte Callia in citharoedica arte victoriam reportasse prodidit. Cuius verba haec sunt: „*Ὁ Φρῦνις κιθαρῳδὸς Μυτιληναῖος. οὗτος δὲ δοκεῖ πρῶτος κιθαρίσαι παρ' Ἀθηναίοις καὶ νικῆσαι Παναθηναίοις ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος.*“[19]) Sed cum quattuor apud Athenienses fuerint archontes eponymi

---

[18]) Singulorum dicimus certamina cithara vel tibia canentium vel ad eas cantantium. Verbi *ᾄδειν* enim collocatio demonstrat, de cantu et ad tibias et ad citharam cogitandum esse.

[19]) Suidas qui s. v. *Φρῦνις* fere eadem refert sua ex hoc loco transscripsit.

nomine „Callias“[20]), dubium esse potest, sub quonam eorum Phrynis vicerit. Meierus (l. c. p. 285) nullius eorum tempus cum Plutarchi narratione de odeo congruere ratus (quod Ol. 84, 1 vel 2 exstructum esse demonstravit) scholiastae verba *ἐπὶ Καλλίου* in *ἐπὶ Καλλιμάχου* (Ol. 83, 3) mutanda esse censuit. Cui argumentationi plura adversantur. Nam primum scholiastes rem non ut certam tradidit, sed videri tantum dixit, Phrynin primum apud Athenienses ad citharam cantasse et Panathenaeis victoriam reportasse. Deinde cogitari nequit Athenienses citharoedicam artem, longe antea per reliquam Graeciam diffusam et in ipsa Athenarum vicinitate celeberrimam, tum demum didicisse cum per Phrynin depravata fuerit. Itaque censemus non opus esse illa Meieri emendatione tantumque modo ex scholiastae testimonio retineri debere, Phrynin archonte Callia victorem in Panathenaeis fuisse. Quam victoriam Olympiadi 81, 1 tribuimus. Hic enim annus aptissime congruit cum eiusdem scriptoris narratione, Phrynin Aristoclidis discipulum fuisse qui tempore bellorum Persicorum vixerit. Neque mirum videtur, multos eum cuius artificiosiores modi antiquam artem plane removissent primum suae artis in hoc festo victorem habuisse. Alterum argumentum, iam ante Periclem in Panathenaeis citharoedos in certamen

[20]) Ol. 81, 1; 92, 1; 93, 3; (100, 4 fortasse Calleas.) Immo quintus archon Callias ad Ol. 75, 1 nominatur. Cui anno Ios. Scaligerus in sua Olympiadum descriptione ex Suida haec adscripsit (ed. Scheibel p. 51): *Φρύνις* (sic) *κιθαρῳδὸς Μιτυληναῖος πρῶτος δόξας κιθαρῳδῆσαι παρ' Ἀθηναίοις Παναθήναια ἐνίκησε.*“ Sed cum testes graviores Calliadem eiusdem anni archontem eponymum nominent neque cogitari possit, in eo anno, quo pugna Salaminia fiebat Panathenaea celebrata esse, huic tempori Phrynidis victoria adscribi non potest.

commissos esse, sunt verba Hesychii qui s. v. ᾠδεῖον haec scripsit: „τόπος, ἐν ᾧ πρὶν τὸ θέατρον κατασκευασθῆναι οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ οἱ κιθαρῳδοὶ ἠγωνίζοντο.“ De cuius loci interpretatione viri docti ita desperaverunt, ut Meierus (l. c.) censuerit, Hesychium ipsum contrarium eius rei scripsisse quam in animo habuerit. At nobis verba illa satis bonum sensum praebere videntur, si — id quod ex Pausania demonstrari potest — cum Leakio, Gerhardo, aliis [21]) statuimus, ante Periclis tempus Athenas prius quoddam odeum habuisse. Eodem modo Gerhardo assentimur qui (l. c.) vocem „τὸ θέατρον“ non ad Dionysi theatrum sed ad odeum a Pericle exstructum retulit [22]). Itaque constat, ut rhapsodos ita etiam citharoedos ante Periclem Athenis de praemio certasse. Neque dubium esse poterit quin haec verba ad Panathenaea sint referenda, cum citharoedorum certamen praeter hoc festum Athenis nullum haberetur [23]).

Ut igitur ad Plutarchi verba, a quibus exorsi sumus, revertamur, ea ita sunt intelligenda, ut Pericles de musicis Panathenaeorum certaminibus optime meritus

---

[21]) Leake Topographie von Athen. Deutsche Uebers. II. Aufl. p. 179 seq. — Gerhard l. c. p. 2, 21 et 3, 31.

[22]) Odeum significari potuisse per vocem θέατρον multi scriptorum loci testantur. Sic e. g. apud Pausaniam haec legimus (I, 8): „Τοῦ θεάτρου δὲ ὃ καλοῦσιν ᾠδεῖον, ἀνδριάντες πρὸ τῆς ἐσόδου εἰσὶν Αἰγυπτίων.“ Suidas s. v. ᾠδεῖον de ipso Periclis odeo scripsit: „Ἀθήνησιν ὥσπερ θέατρον, ὃ πεποίηκεν, ὥς φασι, Περικλῆς etc. etc.“ Pollux (onomast. 3, 142) postquam certamina divisit in gymnica et scenica (sub quorum nomine Dionysiaca et m u s i c a comprehendit) haec addit: „χωρία δὲ τῶν μὲν στάδιον, τῶν δὲ θέατρον.“

[23]) Fortasse huc pertinet fragmentum inscriptionis quam editores (Rang 23; Ἐφημερὶς ἀρχαιολ. 3423) lapidi lyrae forma iuxta propylaea reperto ante Ol. 80 incisam esse contendunt: „Ἀλ]κίβιος ἀνέθηκεν κιθαρῳδός. Νησιώτης . . . .“ (deest lapis). Ceterum de hoc titulo conclamato cf. Ross Archaeol. Aufs, 1, 176 et 2, 314.

esse dicatur: ad quam interpretationem saepe in talibus testimoniis coacti sumus ubi de prima aliqua inventione sive institutione agitur. Quae Periclis merita in ea re potissimum collocamus quod novum odeum exstruxerit et citharistarum, auloedorum, auletarumque [24]) certamina prioribus addiderit ita ut primum omnis generis certamen musicum haberi potuerit.

Supra statuimus, chororum quoque saltationes ante Periclis tempus actas esse. Itaque singula musicorum certaminum genera hoc ordine in Panathenaea inducta esse censemus: rhapsodorum recitationes Solonis fere tempore, citharoedorum et pyrrhichistarum certamina vel eodem tempore vel non multo postea; choros cyclios aetate Lasi Hermionensis; reliqua denique certamina per Periclem exstructo novo odeo. Hanc enim rem, musico Panathenaeorum certamini paullatim incrementum esse allatum, neque ab universa festorum neque a certaminum ratione abhorrere videmus. Sic sero tandem ad Panathenaeorum ludos equestres gymnica certamina accesserunt neque horum singulae partes ex eodem tempore originem duxisse videntur [25]). Eodem modo in Pythiis longum per tempus sola citharoedorum certamina agebantur quibus postea et aliorum musicorum certaminum genera et reliquos ludos addiderunt.

Nunc de singulis certaminum generibus dicendum

---

[24]) De Mida Agrigentino quidem, tibiis victori in Pythiis Ol. 71, 3 et 72, 3 in scholiis Pind. Pyth XII traditur (ed Böckh. II, 1, p. 421), eum etiam in Panathenaeis victorem evasisse. Sed res non pro certo affirmatur („*φασὶ δὲ αὐτὸν καὶ Παναθήναια νενικηκέναι*“) atque fieri potuit, ut idem Midas in Pythiis Ol. 71, 3 et in Panathenaeis post odeum a Pericle exstructum tibiis vicerit.

[25]) cf. Duncker Gesch. des Alterth. IV p. 254 et 336.

est. Gravissimum huc pertinet tituli fragmentum (Rang. 961) quod infra descripsimus:

[ῥαψῳδοῖς]
[πρώτῳ]
δευτ]έρῳ
τ]ρίτῳ
κιθαρῳδοῖς
πρώτῳ στέφανος
Χ θαλλοῦ χρυσοῦς
𐅅 ἀργυρίον
· Η Η δευτέρῳ
· · Η τρίτῳ
· Η Η τετάρτῳ
Η Η Η πέμπτῳ
ἀνδράσι αὐλῳδοῖς
Η Η Η πρώτῳ τούτον στέφανος
Η δευτέρῳ
𐅅 ἀνδράσι κιθαρισταῖς
πρώτῳ τούτον
σ[τ]έφανος Η Η Η
δευτέρῳ
Η τρίτῳ
αὐληταῖς
πρώτ]ῳ τούτον στέφανος

Quem titulum de Panathenaeis agere cum locus ubi repertus est (Athenis in arce) tum ipsum argumentum demonstrat. In alio enim nullo certamine musico sin-

guli Athenis de praemio certabant. Docemur igitur hac inscriptione, quot paullatim musici ad Panathenaea celebranda Athenas confluxerint, ita ut necessarium fuerit sexaginta fere annis post Periclis instituta (c. Ol. 100 quo tempore inscriptio incisa esse dicitur) novum praemiorum ordinem instituere.

Quod primum ad citharoedos attinet, quinque eis praemia destinantur, ex quo licet conicere permagnum numerum in hoc certamen descendisse. Nam in aliis inscriptionibus musicis singuli vel bini tantum citharoedi victores nominantur (e. g. singuli C. I. 1583; 1584; bini ib. 2758 No. II et IV; 2759 No. I.) Quin etiam Thespiis in Musarum festo quod solis musicis certaminibus celebrabant unus modo citharoedus victor prodiit (C. I. 1586). In celeberrimis denique illis inscriptionibus Delphicis, quæ non victorum sed omnium qui certaminis participes fuerunt nomina continent[26]) bini tantum (No. 3. 4) et semel (No. 6) tres citharoedi certamen inisse dicuntur. Ceterum verisimile est inscriptionem Panathenaicam de quinquennali sollemnitate agere, licet pro certo habeamus minori quoque in festo hoc certamen locum habuisse. Citharoedi enim, ut demonstravimus, ante id temporis inter se certabant quo festum quinquennale maiori cum splendore haberetur.

Citharoedis vero et auletis in inscriptione de qua disserimus aetatis nota nulla additur, cum auloedis et citharistis *ἀνδράσι* vocem praepositam esse videamus. Putamus igitur, ut in gymnicis certaminibus tres aetates distinguerentur, ita musica Panathenaeorum certamina

[26]) cf. Inscriptions recueillies à Delphes et publiées par C. Wescher et P. Foucart Paris 1863: „*οἳ δὲ ἠγωνίσαντο τὸν ἀγῶνα τῶν Σωτηρίων.*"

bipartita fuisse [27]). Viris enim auloedis et viris citharistis necessario opponendi sunt pueri auloedi et pueri citharistae. Itaque statuendum est initium inscriptionis puerorum certaminum mentionem fecisse [28]). Voci autem *αὐληταῖς* in fine fragmenti nostri „*ἀνδράσι*" addendum esse censemus [29]), cum omnes tituli agonistici primum de pueris tum de viris agere soleant. Quominus idem ad verbum *κιθαρῳδοῖς* addamus lapidis angustia et litterarum *στοιχηδὸν* scriptarum ratio vetat. Quapropter credendum est hosce v i r o s esse neque alios praeter viros ad citharoedorum certamina convenisse. Ars enim ad citharam cantandi difficilior fuit quam ut saepius a pueris exerceretur. Quam ob rem in artis monumentis barbati plerumque citharoedi repraesentantur. Cum igitur moris esset, praesertim in summis festis, ut viri tantum citharoedi certamen inirent, aetatis notam illis addi non oportuit.

Transeamus ad citharistarum in Panathenaeis certamen i. e. ad eos artifices qui assis fidibus canebant. In eadem inscriptione Panathenaica tribus viris citharistis praemia proponuntur. Id quod nobis argumento est, hoc quoque certaminum genus reliqua Graecorum festa longe superasse. In titulis Delphicis quos supra lauda-

---

[27]) Id quod saepius factum esse ex titulis C. J. 2758 (frgm. I et II) et 2759 cognoscimus, in quibus *παιδὶ κιθαρῳδῷ* et *ἀνδρὶ κιθαρῳδῷ* singula praemia decernuntur.

[28]) Quare non facimus cum editore huius fragmenti qui rhapsodis initio praemia statuta esse putavit. Immo haec ante puerorum certamina initio totius inscriptionis scripta fuisse ducimus.

[29]) Quam verborum collocationem offensionem non praebere licet antecesserit *ἀνδράσι αὐλῳδοῖς* et *ἀνδράσι κιθαρισταῖς* ex titulo C. J. 3089 cognoscimus. In quo primum *παίδων αὐλητῶν* et postea *αὐλητῶν ἀνδρῶν* scriptum reperitur.

vimus, bis singuli (No. 5. 6), semel duo (No. 3) nominantur citharistae qui eo anno certaminis participes fuerunt. Inter victores vero quos aliae inscriptiones exhibent singuli citharistae apparent (e. g. C. I. 1583, 1584; Rang. 965; Keil Syll. VIII) vel ad summum duo (C. I. 2759 *ψειλοκιθαρεῖς*). Neque in Musarum festo cuius sola musica certamina erant plures singulis citharistis victores nominantur (C. I. 1585. 1586). Panathenaeorum autem citharistas, ut reliquos musicos qui singuli pro se de praemiis certarent, in pueros et viros divisos fuisse iam supra indicavimus.

Quod ad auloedos Minervae festi, in titulo Panathenaico duobus viris auloedis victoria decernitur. Quorum igitur ars licet minoris momenti in Panathenaeis fuerit quam citharoedorum et citharistarum cantus, aliis tamen in festis singulos modo auloedos coronam accepisse videmus (cf. C. I. 1583, 1584). Accedit quod cantus ad tibiam rarissime in certaminibus invenitur ita ut ne in Thespiensium quidem festo Musarum auloedi nominentur. De ipsis carminibus quae in Panathenaeis ad tibiam canebantur Plutarchus haec scripsit (de Music. c. VIII, p. 1134). „*Καὶ ἄλλος δ'ἔστιν ἀρχαῖος νόμος καλούμενος Κραδίας, ὅν φησιν Ἱππῶναξ Μίμνερμον αὐλῆσαι. ἐν ἀρχῇ γὰρ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον. τοῦτο δὲ δηλοῖ ἡ τῶν Παναθηναίων γραφὴ ἡ περὶ τοῦ μουσικοῦ ἀγῶνος.*“ Antiquissimum igitur auloedicae artis genus quod Clonas excoluit[30]) — elegias modulatas dicimus — longum per tempus in certaminibus sacris adhibitum esse videmus. Quo factum est, ut in certamine auloedorum, quod Pe-

[30]) cf. Rud. Westphal. Gesch. der alten und mittelalt. Musik p. 99.

ricles demum in hanc sollemnitatem induxit, antiquo more elegiae ad tibiam canerentur, cum alia ex parte iam Phrynis citharoedicam artem corruperit. Quare caussa non est cur scriptori vitio vertamus (id quod fecit Volkmannus (edit. Plut. Mus. p. 86) quod in demonstranda antiqua arte auloedica ad Panathenaeorum fastos de musico certamine provocaverit. Sed iam aliud ex hoc Plutarchi loco de genere auloedico statuamus necesse est. Cum enim prioribus verbis de auletico Cradiae nomo haec addiderit: „ἐν ἀρχῇ γὰρ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον" manifestum est, hunc nomum simul auloedicum fuisse[31]). Quosdam vero nomos tales fuisse, qui et sine voce tibia cani et in cantu ad tibiam adhiberi potuerint, aliis ex locis clarius perspicimus. Legimus in eodem Plutarchi libro (init. cap. X): „Καὶ Πολύμνηστος δ' αὐλῳδικοὺς νόμους ἐποίησεν. εἰ δὲ τῷ Ὀρθίῳ νόμῳ (auletico nomo) ἐν τῇ μελοποιΐᾳ κέχρηται, καθάπερ οἱ ἁρμονικοί φασιν, οὐκ ἔχομεν ἀκριβῶς εἰπεῖν." Rem plane demonstrant verba scholiastae ad Aristoph. Acharn. v. 16 in quibus Chaeris auloedus et nomus Orthius quem cecinit auleticus vocatur[32]).

---

[31]) Merito Cradiae nomus auleticus esse dicitur (Volkm. l. c. p. 85). Sed eodem nos iure contendere putamus αὐλῆσαι verbum interpretandum esse tibia cecinisse, non ad tibiam cantasse (= πρὸς αὐλὸν ᾆσαι.) Hanc enim interpretationem omnia postulant quae antecedunt. Neque scriptor res diversas permiscuit, sed cum sententiam suam non accuratius explicaverit, duo illa enuntiata ὅν φησιν . . . . . αὐλῆσαι et οἱ αὐλῳδοὶ ᾖδον sibi repugnare videntur.

[32]) Aristoph. Acharn. v. 16 „ὅτε δὴ παρέκυψε Χαῖρις ἐπὶ τὸν ὄρθιον" — Schol.: ὁ δὲ Χαῖρις οὗτος κιθαρῳδὸς καὶ αὐλῳδὸς φαῦλος. ὁ δὲ ὄρθιος αὐλητικὸς νόμος."

De ipsis carminibus quae citharoedi et auloedi in Panathenaeis cantabant nihil traditum est. Neque praeter eos quos iam nominavimus (Hegemonem Thasium parodiarum poetam, Phrynin citharoedum, Midam tibicinem et Nicoclem dithyramborum poetam) alia victorum nomina invenimus, nisi quod Ἐξηκεστίδης quidam bis in citharoedica arte vicisse dicitur [33].

Denique in fine inscriptionis (Rang. 961) praemia enumerantur auletis destinata (viris auletis ut supra vidimus). Cum primo eorum praemium proponatur (in quae verba fragmentum huius tituli desinit) duo saltem victores ex certamine prodierunt. Si vero alios titulos musicos consulueris, in plerisque singulos modo victores reperies (e. g. C. I. 1583. 1584. Rang. 965). Neque plures apparent in Musarum festo Thespiis celebrato cf. C. I. 1585. 1586 [34]). In sola praemiorum tabula C. I. 2758 (III. E. Col. I.) duobus auletis victoria decernitur. Postremo in titulis Delphicis saepius nominatis duo partim auletae (No. 6) partim tres (No. 4) participes certaminis nominantur ita ut ibi quoque non plures duobus praemium tulerint. Hi autem auletae cum auloedis et fidium artificibus coniuncti in inscriptione Panathenaica non tibias ad auloedorum cantum inflabant sed assis tibiis sibi ipsis victoriam quaerebant. Quod iam enumeratio singulorum certaminum indicat: citharoedos enim citharistae sequuntur, auloedos auletae. Sed

[33]) Schol. Aristoph. Av. 11.: „ὁ δὲ Ἐξηκεστίδης κιθαρῳδὸς πυθιονίκης. νικᾷ δὲ καὶ τὸν τῶν Καρνείων ἀγῶνα τὸν ἐν Λακεδαίμονι καὶ Παναθήναια δίς.“

[34]) πυθαύλας et Πυθικὸς αὐλητής. Hi enim ut pro se singuli certantes chororum tibicinibus (χοραύλης et κύκλιος αὐλητής opponuntur.

cum multos aliter iudicasse videamus, non abs re erit fusius hanc quaestionem tractare[35]).

Contendimus igitur, auletas quos tituli musici in victoribus enumerent pro se ipsos certasse neque auloedorum cantui inservisse. Ubique enim auletae cum ceteris musicis, praesertim cum citharistis, eodem loco habentur et in talibus quoque titulis apparent in quibus auloedi non reperiuntur. Sic C. I. 1585 solus *πυθαύλας* et *κιθαριστάς* sibi opponuntur, ib. 1586 solus *Πυθικὸς αὐλητής*, et *Πυθικὸς κιθαριστής*, ib. 2759 auletam (*πυθαύλας*) sequitur *ψειλοκιθαρεύς* quibus *χοραύλης* et *χοροκιθαρεύς* eodem modo coniuncti respondent. Porro in aliis inscriptionibus solis citharoedis auletae (tit. Delph. No. 4) vel utrisque fidium artificibus soli auletae adiunguntur (ib. No. 6; Rang. 965). Quinam vero tibicines simpliciter *αὐληταί* dicti choris inservierint ipsa verborum collocatio significat. Quapropter in titulis Delphicis poetas prosodiorum (No. 5 *ποιηταὶ προσοδίων*), tragoedos et comoedos sui quemque tibicines statim sequntur. Nec mirum est eos qui ad auloedorum cantum tibias inflarent inter victores non recenseri. Cum enim in singulorum certaminibus singuli tantum praemia acceperint, in cantu ad tibiam cantorem victoriam reportasse ipsum *αὐλῳδίας* nomen demonstrat. Id quod Athenaeus p. 621 B diserte tradit, qui aliud certaminum genus cum auloedi cantu comparans haec scripsit: ,,*ψάλλει δ' αὐτῷ* (sc. *τῷ ἱλαρῳδῷ*) *ἄῤῥην ἢ θήλεια, ὡς καὶ τῷ αὐλῳδῷ. δίδοται δὲ ὁ στέ-*

35) Sic Boeckhius C. J. 1583 in explicando huius tituli argumento ita scribit: „Succedit poeta epicus, simpliciter poeta dictus, cum suo rhapsodo: tum tibicen cum auloedo suo et citharista cum citharoedo.“

φανος τῷ ἱλαρῳδῷ καὶ τῷ αὐλῳδῷ, οὐ τῷ ψάλτῃ οὐδὲ τῷ αὐλητῇ.“

Praeter hoc singulorum tibicinum certamen Pollux concentum quendam in Panathenaeis memorat, quem Graeci *συναυλίαν* vocabant (4, 83): „*Ἀθήνησι δὲ καὶ συναυλία τις ἐκαλεῖτο· συμφωνία τις αὕτη τῶν ἐν Παναθηναίοις συναυλούντων. οἱ δὲ τὴν συναυλίαν εἶδος προσαυλήσεως οἴονται ὡς τὴν αὐλῳδίαν. καὶ μὴν ἴαμβοί γε καὶ παριαμβίδες νόμοι κιθαριστήριοι, οἷς καὶ προσηύλουν.*“ Licet scriptor eam huius vocabuli notionem praetulerit qua concentum duorum vel plurium tibicinum significat, ipsi tamen de ea re non constitisse apparet. Itaque aliorum opinionem subicit qui illam *συναυλίαν* concentum tibiarum cum cithara esse dicant. Itidem alii scriptores cum illa[36]) tum varia artis tibinae genera hoc nomine significabant. Quae cum ita sint cumque alio in loco concentum illum accomodatius ad certaminum rationem explicatum videamus, neutram — quod ad Panathenaeorum certamen — explicationem Polluci memoratam accipiendam esse censemus. Semus enim Delius hoc modo *συναυλίαν* descripsit apud Athenaeum XIV, p. 618.[37]): „*τὴν δὲ συναυλίαν τί ποτ᾽ ἐστὶν ἐμφανίζει Σῆμος ὁ Δήλιος*

[36]) e. g. Hesych. s. v. *ξυναυλίαν:* „*πᾶν πρᾶγμα δισσόν. τὴν ὑπὸ δύο ἐπιτελουμένην αὔλησιν. ὅταν γὰρ δύο αὐλῶσι ξυναυλία λέγεται.*“ — Nicephor. Greg. apud Herm. de emend rat. gramm. graec. p. 340: „*λέγεται δὲ ξυναυλία καὶ ὅταν δύο αὐληταὶ τὸ αὐτὸ ᾄδωσιν.*“ — Schol. Aristoph. equ. v. 9. *ξυναυλια καλεῖται ὅταν δύο αὐληταὶ τὸ αὐτὸ λέγωσιν. Ἄλλως. ξυναυλία λέγεται ὅταν κιθάρα καὶ αὐλὸς συμφωνῇ.*“

[37]) Iam Meursius Panathenaea c. 10 hanc definitionem ex Eustathii comment. Il. Φ p. 1324 adscripsit, rem vero non est interpretatus.

ἐν πέμπτῳ Δηλιάδος γράφων οὕτως „ „ἀγνοουμένης δὲ παρὰ πολλοῖς τῆς συναυλίας λεκτέον. ἦν τις ἀγὼν συμφωνίας ἀμοιβαῖος αὐλοῦ καὶ ῥυθμοῦ χωρὶς λόγου τοῦ προσμελῳδοῦντος.“ “ ἀστείως δὲ αὐτὴν Ἀντιφάνης φανερὰν ποιεῖ ἐν τῷ Αὐλητῇ λέγων

„ποίαν, φράσον γάρ, ἤδε τὴν συναυλίαν
ταύτην; ἐπίσταται γάρ, ἀλλ' ἤὕλουν ἔτι
μαθόντες, ὥστε τοὺς αὐλοὺς σύ τε
αὕτη τε λήψεσθ' εἶθ' ἃ μὲν σὺ τυγχάνεις
αὐλῶν πέραινε, δέξεται δὲ τἆλλα σοι
ἥδ'. οὔτι κοινόν ἐστιν, οὐ χωρὶς πάλιν,
οὐ νεύματ', οὐ προβλήμαθ' οἷς σημαίνετε
ἕκαστα.“

Non solum uno hoc loco concentus de quo dicimus c e r t a m e n vocatur, sed etiam propter fontem ex quo Athenaeus verba illa hausit probabile evadit, tale *συναυλίας* genus in sacris Deliis adhibitum fuisse[38]). Sed quaeritur quid sit ille r h y t h m u s quem Semus cum tibia concinere contendit. Non tibiae modorum rhythmum hac voce significari per se liquet[39]). Neque tum perspici possit, cur *χωρὶς λόγου τοῦ προσμελῳδοῦντος* addatur. Merus enim tibiae cantus (*ψιλὴ αὔλησις*) haud inusitatus erat. Veteres huius loci interpretes[40]) verba *ῥυθμοῦ χωρὶς λόγου τοῦ προσμελῳδοῦντος* arte coniungunt et rhythmum ita explicant: „cum citra sermonem et verba tibiarum modos vox ex-

---

[38]) cf. Hemsterhus. Lucian dial. mar. III. Vol. I. p. 297.

[39]) Instrumentorum cantus sine rhythmo (*ἄτακτοι μελῳδίαι*) cogitatione potius a rhythmicis distinguebatur quam revera existebat.

[40]) e. g. Dalechampius (Athen. ed. Casaub. p. 796) quem alii secuti sunt.

primit et imitatur." Quae interpretatio vel eam ob caussam admitti nequit, quod ῥυθμός nusquam melodiam significat. Porro artis species plane tollitur neque cogitari potest tale quid certaminis materiem fuisse, nedum certaminis sacri. Recte vero scriptoris verba interpretari nos putamus, si cum eis locum in Aristidis Quintiliani libro de Musica (ed. Meib. p. 31 fin.) comparamus: „ῥυθμίζεται δὲ ἐν μουσικῇ κίνησις σώματος, μελῳδία, λέξις. τούτων δὲ ἕκαστον καὶ καθ' αὑτὸ θεωρεῖται καὶ μετὰ τῶν λοιπῶν, ἰδίᾳ τε ἑκατέρου καὶ ἀμφοῖν ἅμα. μέλος μὲν γὰρ νοεῖται καθ' αὑτὸ μὲν τοῖς διαγράμμασι καὶ ταῖς ἀτάκτοις μελῳδίαις· μετὰ δέ ῥυθμοῦ μόνον, ὡς ἐπὶ τῶν κρουμάτων καὶ κώλων· μετὰ δὲ λέξεως μόνης ἐπὶ τῶν καλουμένων κεχυμένων ᾀσμάτων· ῥυθμὸς δὲ καθ' αὑτὸν μὲν ἐπὶ ψιλῆς ὀρχήσεως· μετὰ δὲ μέλους ἐν κώλοις· μετὰ δὲ λέξεως μόνης ἐπὶ τῶν ποιημάτων μετὰ πεπλασμένης ὑποκρίσεως, οἷον τῶν Σωτάδου καὶ τινων τοιούτων etc." Negari quidem nequit lectoris falli exspectationem, post verba ῥυθμίζεται δὲ ἐν μουσικῇ etc. de materiis tantum rhythmo formatis agi [41]): illud tamen manifestum est, vocem ῥυθμός dupliciter accipiendam esse. Cum enim vim illam idealem quam in triplici artis musicae materia sentimus significat (id quod priora verba de melodia eiusque coniunctione cum rhythmo demonstrant), tum reliquis duabus (μελῳδία et λέξις) oppositus numerosos corporis motus (κίνησις σώματος) indicat: ῥυθμὸς δὲ καθ' αὑτὸν etc. Praecipue ex ultimis verbis μετὰ δὲ λέξεως μόνης etc.

---

[41]) cf. I. Caesar Die Grundzüge der griech. Rhythmik p. 73 seq.

cognoscitur, corporis motus ibi ῥυθμόν vocari, quandoquidem poemata necessario rhythmum suum habent quibus motus et gestus corporis (πεπλασμένη ὑπόκρισις) accedunt. Id quod magis etiam ex Polybi loco (4,20) elucet in quo, ut apud Athenaeum αὐλός et ῥυθμός coniunguntur: „οὐδὲ τοὺς παλαιοὺς Κρητῶν καὶ Λακεδαιμονίων αὐλὸν καὶ ῥυθμὸν εἰς τὸν πόλεμον ἀντὶ σάλπιγγος εἰκῆ νομιστέον εἰσαγαγεῖν.“ Quid enim aliud ῥυθμός ibi indicat nisi motus corporis qui in itinere vel in belli exercitationibus ad tibiae cantum fiebant? Videmus igitur vocem ῥυθμός corporis motus significare potuisse, non ipsa quidem sua vi sed eis in locis quibus nexus sententiarum singularem illam notionem monstrabat. Nec mirum est ipsos corporis motus rhythmum vocari, cum vis illa omnes musicas artes temperans in sola saltandi arte oculis aspiciatur. Quare imagines et statuae in quibus numerosae corporis figurae (σχήματα) apparent εὔρυθμοι dicebantur; quare modorum rhythmi significatio βάσις et ἄρσις ex saltandi arte in omnes musicas artes transiit. Itaque censemus, in illo συναυλίας certamine saltandi motus ad tibiae cantum accessisse, ita quidem ut ei qui illud perficiebant alternantes (ἀγὼν συμφωνίας ἀμοιβαῖος) tibias inflarent earumque modos corporis figuris et gestibus exprimerent. Nam apud Athenaeum quoque rhythmicorum more tres illae materiae distinguuntur: μελῳδία (αὐλός), λέξις (λόγος) et κίνησις σώματος (ῥυθμός). Antiphanis vero versus, qui nihil de saltando continere videntur, utrum hoc συναυλίας genus an potius aliud quoddam illustrent ambiguum est. Scriptoris enim verba ita sunt corrupta ut ea ne in novissima quidem Meinekii editione restituta esse appareat. Sin autem Semi definitionem revera il-

lustrant, certamen hunc in modum cogitandum est, ut duae personae, vir et femina, alternantes illud perficerent.

Restat ut de zophoro Parthenonis templi pauca addamus. Sequimur enim Overbecki iudicium qui communem sententiam, in prostypis cellae pompam Panathenaicam repraesentari, contra adversariorum argumenta defendit[42]. Sed neque inter illos qui huic sententiae assentiuntur de eo constat, utrum pompa quam ante certamina ducebant in zophoro sit repraesentata an ea potius, qua dies festi finiebantur. Verisimilius est, artificem pompam sollemnissimam sibi delegisse quae sine dubio in fine totius festi locum habebat. Quare Phidiam vel eius discipulos in eis quae ad certamina spectant victores in marmor sculpsisse putamus, ita quidem ut singuli in exercenda ea arte qua palmam tulerunt sint repraesentati. Vehementer dolendum est, eas zophori partes quae certo ad musica certamina referenda sunt nisi in tabulis Carreianis conservatas non esse[43]. Quapropter accuratius de singulis iudicare non possumus. Videmus in septentrionali latere cellae quattuor tibicines totidemque citharistas, quibus omnia id genus certamina indicantur. Sed verisimile est, plures virorum et iuvenum, qui musicos sequntur eorumque qui in meridionali parte illis respondent victores esse in certaminibus choricis[44].

---

[42]) Gesch. der Plastik I, 264 et praesertim Kunstgesch. Analekten Nr. 5 Zeitschr. f. Alterth.-Wiss. 1857.

[43]) Lenormant Bas-reliefs du Parthénon etc. à Paris 1860 Planche VI, 1. 2. Hosce musicos non ad sacrificium pertinere id quod Dunckero visum est (Gesch. d. Alterth. IV, 345) reliquorum certaminum repraesentatio docet. Nam Minervae templum pluribus demum annis post Periclis instituta perfectum est. Praeterea musici non antecedunt sed sequntur victimas earumque ministros.

[44]) Overbeckius quoque eos certaminum participes esse censet (Gesch. der Plastik I, 269).

VITA.

Natus sum Henricus Augustus Breuer anno huius saeculi tricesimo septimo a. d. VII. Kal. Dec. patre Theodoro quem praematura mors mihi eripuit, matre Gertrude e gente Brewer quam adhuc in vivis esse laetor. Fidem profiteor catholicam. Litterarum primordiis imbutus gymnasium Bonnense, quod Ludovico Schopen rectore egregio floret, per octo annos frequentavi. Maturitatis testimonio praeditus anno h. s. quinquagesimo quinto hanc almam litterarum sedem adii studiis theologicis me daturus. Quae postquam hic per triennium et Tubingae per sex menses tractavi, infirma me valetudo a studiis revocavit. Tum denuo auctumno anni 1861 civium academicorum numero in hac nostra universitate adscriptus mutato consilio philologicis studiis per quadriennium operam navavi. Scholis interfui virorum clarissimorum ex ordine philosophorum: Delius, Gerkrath, Heimsoeth, Jahn, Kampschulte, Knoodt, Monnard, Ritschl, Ritter, Schopen, Simrock, v. Sybel. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratam semper memoriam conservabo.

Sententiae controversae.

I. *In Varronis ling. lat. V. 15 ita legendum esse puto: „Ubi quidque consistit locus; ab eo praeco dicitur locare, quod usque idem fit, quoad in aliquo consistit pretium.*

II. *Cic. de off. I. 3, 9 ceteris deletis sic scribendum est: „Tum autem anquirunt, ad vitae commoditatem . . . . conducat id necne, de quo deliberant etc."*

III. *Ibid. I. 4, 13 verba „Ex quo intellegitur, quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum" interpolatione in textum irrepserunt.*

IV. *In Aristot. probl. 19, 10 „ἡ μὲν γὰρ φωνὴ ἡδίων ἡ τοῦ ἀνθρώπου, κρουστικὰ δὲ μᾶλλον τὰ ὄργανα τοῦ στόματος· διὸ ἥδιον ἀκούειν ἢ τερετίζειν" verbum ἀκούειν in κρούειν mutandum est.*

V. *In vertendis veterum poematis in nostram linguam non opus est, ut singulis pedibus eadem forma numeri respondeat.*

VI. *Frid. Thudichum errat, veteribus Germanis nobilitatem fuisse negans.*

VII. *Theod. Mommsen non laudandus est in eo quod regum nomina ex historia Romanorum prorsus reiecit.*